

Henricus-Meinolphus Stamm
De fundatione et evolutione
Collegii Internationalis S. Antonii Patavini in Urbe
Conspectus Historicus

Die 12 novemboris 1883 Minister Generalis Bernardinus Dal Vago de Portogruaro, initiator ac fundator Collegii Internationalis S. Antonii Patavini in Urbe, novum Studium Generale instituendum¹ annuntiavit: «Post longas et maturas discussiones illud piae omnibus mediis optimum visum est, ut in hac alma Urbe, et fere sub umbra Pontificis Summi Christi in terris Vicarii, Collegium erigeretur, ad quod illi alumni nostrarum Provinciarum, cujuslibet Nationis, mitterentur, qui, passivo studiorum cursu in Provincialibus Conventibus cum laude absoluto, pietate et regularis observantiae zelo probati, ingenio super ceteris praefulgeant: ut in hoc Collegio, sub peritiorum professorum disciplina, iis facultatibus scientisque exclusive vacare possint, ad quas unusquisque magis inclinatum se sentiat, aut, Superiorum suorum judicio, magis idoneus habitus fuerit. Ita fiet ut successivo tempore viros vere doctos et in singulis disciplinis apprimae excultos Ordo habeat, et unaquaeque Provincia hisce Lectoribus et Magistris laetari et frui possit. [...] Et jam, Filii charissimi, consentientibus, adprobantibus, imo et urgentibus Nostri Definitorii Generalis Patribus, spatiosam aream pro Collegio aedificando compari jussimus secus Viam Merulanam, non longe a Sacrosancta Archibasilica Lateranensi. [...] Expensae siquidem ingentes erunt, prout magnum pro Ordine nostro et ad servitium S. Ecclesiae speramus futurum fore seraphicae Universitatis fructum»².

Lapis primarius pro aedificio erigendo a Cardinali Vicario Urbis Lucido Maria Parocchi die 16 aprilis 1884 solemniter depositus est³.

Ecclesia⁴ iam die 4 decembris 1887 consecrata⁵, Studium Generale Ordinis die 20

¹ Notitiae praecipue sumuntur ex: BESCHIN I.: *Vita del Servo di Dio P. Bernardino Dal Vago da Portogruaro*, 2 voll., Treviso, 1927, praesertim vol. I, p. 542-582; I/ Collegio Internazionale Francescano di S. Antonio in Roma: ricordo de l'inaugurazione della nuova ala 12 giugno 1930, Roma, 1930; BRLEK M.: *De evolutione iuridica studiorum in Ordine Minorum: ab initio Ordinis usque ad an. 1517*, Dubrovnik, 1942, praesertim p. 40-43; OLIGER L.: *La Biblioteca del Pontificio Ateneo Antoniano*, in: I/ libro e le biblioteche: atti del Primo Congresso Bibliografico Francescano Internazionale, 20-27 febbraio 1949, 2 voll., Roma, 1950, vol. I, p. 279-293; HASELBECK G.: *P. Dionysius Schuler: ein Lebensbild*, Fulda, 1956, praesertim p. 107-109; BETTINI O. - SALVADOR M.: / mezzi di lavoro dell'Antonianum, in: *Pontificium Athenaeum Antonianum ab origine ad praesens*, Romae, 1970, p. 191-199; FRASCADORE E.: *L'Ateneo Antonianum*, in: *Pontificium Athenaeum Antonianum ab origine ad praesens*, Romae, 1970, p. 56-96; SPATLING L.: *De Collegii Antoniani historia*, in: *Pontificium Athenaeum Antonianum ab origine ad praesens*, Romae, 1970, p. 29-35; IDEM, *De fundatione et evolutione Collegii Internationalis S. Antonii in Urbe conspectus historicus*, in: *Familia religiosa Collegii Internationalis S. Antonii in Urbe*, Romae, 1970, p. 3-7; PONTIFICIUM ATHENAEUM ANTONIANUM: *Annuario accademico 2006-2007*, Roma, 2006, p. 3: Cenni storici.

² ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Bernardinus a Portu Romantino>: *Litterae encyclicaes*, 1883 nov. 12, Romae, in: ORDO FRATRUM MINORUM: *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, an. 2 (1883), p. 173-174.

³ Cf. Benedictio primarii lapidis ecclesiae Collegii generalis, ibid, an. 3 (1884), p. 76-80.

⁴ Cf. Jozzi O.: *La chiesa internazionale di S. Antonio di Padova in Roma*, Roma, 1901; *La Basilica di S. Antonio in Roma: nel cinquantesimo della sua consacrazione 1887-1937*, Roma, 1937; PESCI B.: *S. Antonio a Via Merulana*, Roma, 1964 (*Le chiese di Roma illustrate*, n. 80); LUNARDI A.: *La Basilica di S. Antonio di Padova in Via Merulana, Roma: cent'anni di vita (1887-1987)*, Roma, 1987.

novembris 1890 inauguratum et S. Antonio Patavino dicatum est: «Die XX Novembris solemniter auspicatum est Collegium S. Antonii in Urbe. Hora septima cum dimidio R.mus P. Generalis, adstantibus duobus Episcopis Franciscalibus, cunctis Ordinis Proceribus, Decuria Doctorum cum alumnis Collegii, incruentum Missae Sacrificium celebravit, quo iidem alumni sacra de altari libaverunt. Sacrificio absoluto, R.mus P. Generalis sermonem habuit italico stylo exaratum, quem etiam latine redditum hic subjicimus. Dein hymno "Veni, Creator" lumine divini Paracliti implorato, Doctores decuriales publicam eamque solemnem fidei Professionem emiserunt. [...] SERMO: "[...] Finis igitur est, primario, ut delecti acrioris ingenii tyrones, iis disciplinis penitus addiscendis insudent, in quas sua quisque magis se primum natura sentit, ac postea e Collegio digressi honorem atque onus magisterii in suis Provinciis exercendi recipient: secundario, ut opportuna doctrina imbuantur ii qui munus Apostolatus divino instinctu suscipiunt, laturi Evangelium Christi gentibus quae adhuc in umbra mortis sedent: et denique obiter, ut instituantur earum Provinciarum alumni, qui ob tristitiam temporum magistris parent, in quorum disciplinam convenienter ad scientiam necessariam sibi comparandam. Quem finem Collegii hujus instituendi nobilem ac sanctum procul dubio, ita nos Deus adjuvet!, consequemur"»⁶.

Per nova emendata Statuta peculiaria⁷ Minister Generalis Dionysius Schuler die 29 novembris 1905 amplissime auxit «Generale totius Ordinis nostri Collegium S. Antonii in Urbe, quod aequali iure ad omnes Ordinis Provincias spectat».⁸

Fatis haud semper secundis Studium Generale tamen magis magisque incrementum sumpsit. Die 17 maii 1933 Studium Generale declaratum est Athenaeum Antonianum cum iure grados academicos conferendi⁹ et die 14 iulii 1938 nomine et titulo «Pontificii» decoratum est¹⁰.

Pristinis aedibus adiectae sunt annis 1928-1930 nova ala pro studentium residentia¹¹, annis 1947-1950 aula magna S. Mariae Assumptae dicata cum ultra 1.100 sedibus¹², annis 1947-1957 nova ampla bibliotheca¹³, quae decursu annorum 300 manuscriptis,

⁵ Cf. Consecratio novae ecclesiae Collegii nostri generalis ad S. Antonium Paduanum in Urbe, in: ORDO FRATRUM MINORUM, Acta Ordinis Fratrum Minorum, an. 6 (1887), p. 178-182.

⁶ Solemnitas peracta studiis auspicandi in Athenaeo principe S. Antonii in Urbe, *ibid.*, an. 9 (1890), p. 178-185, hic p. 178 et 182. Cf. etiam ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Alouisius a Parma>:

Adhortatio, 1890 maii 13, Romae, *ibid.*, p. 72-73; *Audientia Summi Pontificis Leonis XIII die 11 novembris 1890*, *ibid.*, p. 177-178.

⁷ Cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Schuler, Dionysius>: *Decretum*, 1905 nov. 29, Romae, *ibid.*, an. 25 (1906), p. 39-46.

⁸ *Commentarius in Constitutiones Gles. Fratrum Minorum*, *ibid.*, p. 103.

⁹ Cf. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS: *Decretum*, 1933 maii 17, Romae, *ibid.*, an. 52 (1933), p. 149; ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Belloc, Leonardus M.>: *Litterae encycliche*, 1933 iulii 14, *ibid.*, p. 206-209.

¹⁰ Cf. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS: *Decretum*, 1938 iunii 14, Romae, *ibid.*, an. 57 (1938), p. 233.

¹¹ Cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Marra, Bonaventura>: *Litterae encycliche*, *ibid.*, an. 49 (1930), p. 164-165.

¹² Cf. BETTINI O. - SALVADOR M.: *I mezzi di lavoro dell'Antonianum*, p. 197.

¹³ Cf. *ibid.*, p. 192. - Die 13 iun. 1947 bibliotheca Pontificii Athenaei Antoniani a Ministro Generali bibliotheca centralis totius Ordinis declarata est, cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Perantoni, Pacificus M.>: *Litterae encycliche*, 1947 iun. 13, Romae, in ORDO FRATRUM MINORUM: *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, an. 66 (1947), p. 178-189. Minister Generalis, *ibid.*, p. 185, constituit: «Necesse est et Nos de nostris bibliothecis summam gerere curam quae sint studiorum instrumenta et iudices, iuxta quae sequuntur normas. Bibliothecam igitur nostri Pontificii Athenaei

103 incunabulis, 1.100 postincunabulis, 420.000 voluminibus atque 2.523 periodicis (860 currentibus) ditata est¹⁴.

Ecclesia die 21 augusti 1931 a Papa Pio XI titulo Basilicae Minoris¹⁵ et die 12 martii 1960 a Papa Ioanne XXIII titulo cardinalitio insignita est¹⁶. Opera Antoniana Caritatis pro pauperibus anno 1938 fundata, anno 1953 ab auctoritate ecclesiastica et anno 1959 ab auctoritate publica recognita sunt¹⁷.

Die 28 februarii 1989 Congregatio de Institutione Catholica Statuta renovata¹⁸ et die 17 decembris 1991 Minister Generalis qua Magnus Cancellarius Ordinationes renovatas¹⁹, necnon 4 octobris 1992 Ordinationes peculiares Athenaei²⁰ approbaverunt atque confirmaverunt.

Pontificium Athenaeum Antonianum ex tribus constabat Facultatibus: Facultate Theologiae cum specializationibus in theologia dogmatica, in spiritualitate (Institutum Franciscanum Spiritualitatis, quod complectitur etiam cursum ad diploma) et in studiis oecumenicis (Institutum de Studiis Oecumenicis Venetiarum Sancto Bernardino dicatum)²¹; sectione parallela Facultatis Theologiae, Studio nempe Biblico Franciscano Hierosolymitano²²; Facultate Iuris Canonici²³ et Facultate Philosophiae²⁴.

Cum charactere sic dicto interdepartmentali Schola Superior Studiorum Mediaevalium ac Franciscalium innititur in Facultatibus ut schola tertii cycli altiorisve specializationis in studiis mediaevalibus ac franciscalibus²⁵. Sub potestate ductuque Facultatis Theologiae die 2 februarii 1983 constitutum est Institutum Superius de Scientiae Religiosis «Redemptor hominis»²⁶. Athenaeo

Antoniani de Urbe bibliothecam centralem totius Ordinis constituimus et declaramus... Iubemus ut deinceps eidem bibliothecae exemplar unum mittatur operum omnium, articulorum, elucubrationum, diariorum, ephemeridum, quae nostrates publici iuris facturi, vel in sua quaque regione alii de re franciscali vel mariologica edituri sint.»

¹⁴ Cf. Guida delle biblioteche dei Pontifici Istituti di Studi Superiori in Roma, coord. da BESUTTI G. M., Roma, 1974, p. 25; GRUPPO BIBLIOTECHE ECCLESIALISTICHE: Guida delle biblioteche dei Pontifici Istituti di Studi Superiori in Roma, coord. da DANIELI S. - TABARELLI G., Roma, 1992, p. 38-39.

¹⁵ Cf. PIUS PAPA XI: Decretum: *Hac sacra*, 1931 aug. 21, in: ORDO FRATRUM MINORUM: *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, an. 50 (1931), p. 292.

¹⁶ Cf. IOANNES PAPA XXIII: Decretum: *Inter cetera*, 1960 mart. 12, *ibid*, an. 79 (1960), p. 233-234.

¹⁷ Cf. SPATLING L.: *Defundatione*, p. 7.

¹⁸ Cf. CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOUCA, *Decretum*, 1989 febr. 28, Romae, prot. n. 815/79/40, in: PONTIFICIUM ATHENAEUM ANTONIANUM: *Statuta*, Romae, 1991, p. 6.

¹⁹ Cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Schaluck, Hermannus>: *Decretum*, 1991 dec. 17, Romae, prot. n. 078162 (241), in: PONTIFICO ATENEO «ANTONIANUM»: *Ordinazioni*, Roma, 1991, p. 3.

²⁰ Cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Schaluck, Hermannus>: *Decretum*, 1992 oct 4, Romae, prot. n. 078950 (171), in: PONTIFICO ATENEO «ANTONIANUM»: *Ordinazioni peculiares*, Roma, 1992, p. 3,23, 31,39.

²¹ Cf. Pontificio Ateneo «Antonianum»: *Statuta*, p. 31-34, 37-38, 49-60; Pontificio Ateneo «Antonianum»: *Ordinazioni*, p. 23-29.

²² Cf. PONTIFICO ATENEO «ANTONIANUM»: *Statuta*, p. 37, 39-48.

²³ Cf. PONTIFICO ATENEO «ANTONIANUM»: *Statuta*, p. 34-35; PONTIFICO ATENEO «ANTONIANUM»: *Ordinazioni*, p. 29-31.

²⁴ Cf. Pontificio Ateneo «Antonianum»: *Statuta*, p. 35-38; Pontificio Ateneo «Antonianum»: *Ordinazioni*, p. 31-33.

²⁵ Cf. PONTIFICO ATENEO «ANTONIANUM»: *Statuta*, p. 61-62.

²⁶ Cf. *ibid*, p. 63-67.

aggregatae sunt²⁷ Commissio Scotistica²⁸, Pontificia Academia Mariana Internationalis²⁹ ac Collegium Internationale S. Bonaventurae³⁰.

Annis 1989-1990 totum aedificium Athenaei restauratum³¹ et anno 1991 «computerizatio» bibliothecae initia est³².

Ad normam articulorum 197-198 Statutorum Ordinis Generalium communitas studentium anno 1988 in domum filialem domus matricis Collegii S. Antonii de Urbe constituta est³³. Die 23 octobris 1989, festo S. Ioannis a Capistrano, Statuta peculiaria domus matricis et filialis a Ministro Generali approbata sunt³⁴.

Mense augusto 2003 Sorores Franciscales Elisabethinae, ab anno 1982 valetudinario Collegii addictae, Collegium reliquerunt.

Domus filialis studentium anno 2003 in conventum proprium, «Fraternitas venerabilis Gabrielis Allegra» nomine, cum Guardiano duobusque Rectoribus studentium commutata est.

Studio Biblico Franciscano Hierosolymitano die 4 septemboris 2001 a Congregatione de Institutione Catholica ad Facultatem Scientiarum Biblicalarum et Archaeologiae elevato³⁵ et igitur Athenaeo quattuor Facultatibus munito, die 11 ianuarii 2005, tres menses ante mortem,

²⁷ Cf. PONTIFICIO ATENEO «ANTONIANUM»: *Annuario accademico 2006-2007*, p. 250.

²⁸ Commissio Scotistica, anno 1927 in Collegio Internationali S. Bonaventurae de viculo Quaracchi prope Florentiam condita, anno 1938 ad Collegium Internationale S. Antonii de Urbe translata est (cf. *ibid.*).

²⁹ Academiae Marianae Internationali, anno 1946 conditae, die 8 dec. 1959 Summus Pontifex Ioannes XXIII litteris motu proprio datis *Maiora in dies* Pontificiae titulo et iuribus ornavit: «Luculentissime sane appareat quam egregie haec Academia Mariana de Marialis doctrinae pietatisque profectu meruerit. Exquisitissimis itaque fructibus, quos memorata Academia edere valuit, attente perpensis, ipsam titulo, iuribus et privilegiis Pontificiae Academiae decorandum esse censuimus» (PONTIFICIA ACADEMIA MARIANA INTERNATIONALIS, *Acta Pontificiae Academiae Marianae Internationalis vel ad Academiam quoquo modo pertinentia*, vol. I, Romae, 1961, p. 8).

³⁰ Collegium Internationale S. Bonaventurae, anno 1877 in viculo Quaracchi, quinque milia ad occidentem Florentiae vergenti, conditum, anno 1971 ad Cryptam Ferratam translatum est (cf. PONTIFICIO ATENEO «ANTONIANUM»: *Annuario accademico 2006-2007*, p. 250).

³¹ Cf. *Chronica*, in: *Antonianum*, an. 64 (1989), p. 654; an. 66 (1991), p. 194.

³² Cf. *ibid.*, an. 66 (1991), p. 192, 619.

³³ Cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERAUS <Vaughn, Ioannes>: *Decretum*, 1988 oct. 20, Romae, prot. n. 072989/663

³⁴ Cf. ORDO FRATRUM MINORUM, MINISTER GENERALIS <Vaughn, Ioannes>: *Decretum*, 1989 oct. 23, Romae, prot. n. 074566 (240), in: COLLEGIO INTERNAZIONALE DI S. ANTONIO IN ROMA, *Statuti peculiari della Casa Matrice*, Roma, 1989, p. 5-6; IDEM: *Decretum*, 1989 oct. 23, Romae, prot. n. 074101 (159), in: COLLEGIO INTERNAZIONALE DI S. ANTONIO IN ROMA: *Statuti peculiari della Casa Filiale*, Roma, 1989, p. 5-6.

³⁵ Cf. CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, *Decretum*, 2001 sept. 4, Romae, prot. n. 442/89, in: PONTIFICIUM ATHENAEUM «ANTONIANUM», *Liber triennalis 1999-2002*, Romae, 2003, p. 27: CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, *Decretum*, 2001 sept. 4, Romae, prot. n. 442/89, in: PONTIFICIUM ATHENAEUM «ANTONIANUM», *Liber triennalis 1999-2002*, Romae, 2003, p. 27: «Congregatio de Institutione Catholica [...], ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicae *Sapientia Christiana*, in memorato Pontificio Athenaeo Facultatem Scientiarum Biblicalarum et Archaeologiae in civitate Hierosolymitana sitam (Studium Biblicalum Franciscanum) hoc Decreto canonice erigit erectamque declarat, eidem collata potestate academicum Baccalaureatus Sacrae Theologiae necnon Licentiae atque Doctoratus Scientiarum Biblicalarum et Archaeologiae gradum iuxta academicam Ecclesiae legem conferendi».

Pontifex Maximus Ioannes Paulus II libenter Athenaeo Universitatis titulum concessit³⁶.

Die 1 iulii 2005 Sorores Fanciscales Familiae Mariae, ab anno 1974 culinae Collegii ac mensae pauperum addictae, Collegium reliquerunt.

Anno 2007 totius aedificii Collegii renovatio incepit. Mense Novembre 2007 Collegium Lateranense Pii IX apertum et mense Decembre 2009 Aula magna prorsus renovata solemniter inaugurata est.

³⁶ Cf. PONTIFICA UNIVERSITA «ANTONIANUM», *Annuario accademico 2006-2007*, p. 3.